

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

14 April 2004

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. True Friendship (12 th-century letter collection)

Amicicia vera, attestante Tullio Cicerone, est divinarum humanarumque omnium rerum cum karitate et benivolentia consensus, que etiam, ut per te didici, excellentior est omnibus rebus humanis cunctisque aliis virtutibus eminentior, dissociata congregans, congregata conservans, conservata magis magisque exaggerans. Hac descriptione sive diffinitione nihil verius; huic siquis innitatur, non invenit fundamentum solidius.

Huic innitamur, per eam nam consolidamur;
Excellens res est, desperatis pia spes est;
Hec reparat lapsos recreatque gravedine lassos;
Non sinit errare, iubet atque licenter amare;
Ut dicam breviter, disponit cuncta decenter;
Dicimus audenter, regit imperat atque potenter.

Hac igitur obmissa neque tamen dimittenda ad te flecto stilum sermonis, ad te inquam, quem teneo medullis cordis inclusum, omni laude dignum humane rationis, nam a die, qua te primum vidi, cepi diligere te, tu cordis mei intima fortiter penetrasti tibi que inibi, quod dictu mirabile est, sedem affamine iocundissime confabulationis tue preparasti.

2. Sources of the 'Prophetic History' (Gerald of Wales)

Quoniam in prioribus libris Merlini vaticinia, tam Celidonii quam Ambrosii, locis competentibus, prout res exigebat, inseruimus -- Ambrosio vero dudum exposito, nondum Celidonus Britannicam exutus barbariem usque ad hec nostra tempora latuit parum agnitus -- nostre videbatur interesse diligencie, tam ipsum ab antiquis et occultis scrutabunda inquisitione latebris, ut pulchrius elucescat, in commune deducere, et ab ignorancie tenebris in lucem transferre, quam translatum quoque presenti volumini coaptare. Non indecens enim, non incongruum, videri debet, si id, unde auctoritatem et prescienciam (necnon et vaticinale nomen) sortitur historia, id ipsi statim historie continuetur; et ut ea que carptim et varie dispersa per opus reperiuntur, in eiusdem operis continencia loco competenti lector valeat invenire. Nec indignetur inspector, nec in calumniam prorumpat lector delicatus, si ab historia tamquam ad fabulas converti videar. Non enim fabulosa sunt omnia que falsitatis imaginem tenent, sicut nec verisimilia cuncta statim pro veris suscipienda.

3. Hebrew Bible or Septuagint? (Bede)

In quo videlicet opere, ne quem forte offenderet quod hebraicam magis veritatem quam LXX translatorum editionem in saeculi procedentis serie secutus sim, et illam quoque per omnia, quoties discrepare videbatur, inserui, ut legens quisque simul utrumque conspiciat et, quod amplius sequendum putat, eligat. Fixa autem stat mihi sententia ut, sicut reverentissimus eiusdem hebraicae veritatis interpres obtrectatoribus sui operis, 'Non damno,' inquit, 'non reprehendo LXX; sed omnibus his apostolos praefero.' Ita et ego confidenter profitear quia non reprehendo veteres chronographos, qui translationem LXX interpretum modo secuti esse, modo prout libuit probantur habuisse contemptui; sed omnibus his hebraicae veritatis integram praefero puritatem, quam praeeminentissimi doctorum -- Hieronimus in libris hebraicarum quaestionum, Augustinus in libro de civitate dei, Eusebius ipse chronographus in tertio historiae ecclesiasticae libro ex verbis Josephi historici adversus Apionem grammaticam scribentis -- breviorum temporum seriem quam in LXX editione vulgo fertur continere comprobant.

4. The practice of medicine and law (Konrad von Megenberg)

De medicis autem et iuridicis doctoribus hoc tenendum est, quod, quia horum finis est operari ad sanitatem corporis, istorum vero ad anime salutem, suis in dogmatibus experiencias proprias edoceant casuum particularium accidencium ipsis, 'sic vidi, sic michi accidit' enarrando. Cum etenim tam facultas iuridica quam medicina sit practica, utriusque finis est opus. Omnis autem operacio circa singularia est atque singularia infinitis differentiis distrahuntur. Quapropter impossibile est artem medicine sufficienter singula specificare. Sed experientia rerum virtutes individuas accipiens ac regionum distinctarum homines incolas discernens doses variat medicinales atque pondera tam simplicium quam compositarum rerum minuit et auget secundum exigenciam amministracionis. Sicque iurista, prout casuum circumstancie postulant, leges et canones moderat iuris rigorem acerbando vel misericorditer remittendo. Discipulus igitur medicine non solum magistri sui cathedram frequentet, verum eciam singulari quadam familiaritate vestigiis se consociet practice ipsius, quatenus ea, que verbis docentur, operibus experiatur. Nam semicecus est medicus solo nutritus auditorio.